sufficiat. ut ad disserenda ea quae subiuncta sunt otio
reparati redeamus. in auctore omnium deo et domino nostro iesu
christo confidentes. qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritus
sancti deus. per omnia saecula saeculorum. EXPLICIT OMEL. V. INCIPIT. VI.

Nota consuetudinem prophetarum.

Sicut nostis fratres karissimi. consuetudo prophetiae est. nec ista nec illa
aspicere. et ab aliis in aliud subito verba derivare. sicut
psalmista cum de domino loqueretur dicens. Deus iudex iustus. fortis
et longanimis. numquid irascetur per singulos dies. Nisi con
vertamini. gladium suum vibravit. et paravit illum. et in ipso
paravit vasa mortis. sagittas suas ardentibus effecit. Ecce
parturiit iniustitiam. repente subiunxit. concepit dolorem.
et peperit iniquitatem. lacum aperuit. et effodit eum. et incidit
in foveam quam fecit. Ecce cum domini narraret iustitiam. quasi
non mutata voce. repente peccatoris intulit culpam. Quod unum
me exempli causa dixisse sufficiat. quia quisquis in prophetis usum
locutionis habet. quam crebro ista faciant. non ignorat.
Unde hezechiel propheta cum de rotis loqueretur. adiunxit. Et
totum corpus plenum oculis. in circuitu ipsorum IIII. Qui enim
non ipsarum. sed ipsorum dixit. profecto indicat. quia repente sermo
de rotis ad animalia redit. per quae nimirum perfecti quique
ut praedictum est designantur. Corpora itaque animalium idcirco ple
na oculis describuntur. quia sanctorum actio ab omni parte circumspec
ta est. bona desiderabiliter providens. mala sollerter cavens. Et hoc

Nota quod sit sanctis laboriosum.

est laboriosius. ubi sanctorum mens vehementer invigilat. ne se ante
eorum oculos mala sub bonorum oculis abscondant. Circumspecta
est quippe vita sanctorum. ne sic sit libera. ut superba sit. quia saepe superbia

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG · STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG · HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen · UNESCO · Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0086